

05

A

2459





PRÆCOGNITORUM THE-
OLOGICORUM

DISPUTATIO IV.

DE PRIMIS
QUATUOR MEDIIS
SPECIALIS ET ACROAMA-
TICÆ COGNITIONIS THE-
OLOGICÆ,

Quæ sunt,

Accurata Scripturæ SS. lectio,

Librorum Symbolicorum evolutio,

Controversiarum plena pertractatio,

Locorum practitorum collectio.

Quam

Annuente Altissimo

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEIS-

NERI, S.S. Theol. D. & P.P.

Ad placidam συζήτησιν in Auditorio minori

Proponit

M. CHRISTIANUS GROSIVS

Wittebergensis.

Die 6. Aprilis, horis pomeridianis.

Witteberga, Typis Johannis Gormannæ,

anno M. DC. XXV.

4



05 A 2459

M. CHRISTIANUS GROSCH

M. D. & P. R.

M. CHRISTIANUS GROSCH

M. D. & P. R.

M. D. & P. R.

M. D. & P. R.

M. D. & P. R.



IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.
PRÆLOQUIUM.

Divisimus supra SS. Theologiae cognitionem in generalem, exotericam seu vulgarem, de qua in precedente disputatione actum est; & Specialem, ac croamicam seu accuratam, qua supra illam ascenditur, res fidei alius considerantur accuratiusq; tractantur. Non incommodè Theologia cum Tabernaculo Moïsis comparatur, ubi erat 1. atrium sacerdotum, quasi amplum quoddam quadratum cimiterium, in quod nemo ex populo ingrediebatur, sed soli sacerdotes, qui in eò sacrificia comburebant. erat ergò in illo altare sacrificiorum & labrum æneum. 2. In hoc atrio versus occasum concinnaticia quedam domuncula, quadrangularis, intrinsecus per velum in duas partes divisa, quarum prima Sanctum vocabatur, in quod tantum certis & ordinariis sacerdotibus ire licebat, & in eo altare thymiamatis, candelabrum & mensa panum erant; altera Sanctum Sanctorum, in quo ipsa arca Domini, semel tantum in anno soli summo sacerdoti accessibile: Ita præter communem populi Christiani Theologiam, alia est pastorum, ad quos labrum & altare sacrificiorum pertinet, hoc est, qui sacro & lustrico Baptismi lavacro homines mundant, Sacram Cenam administrant, deq; merito Christi & vita aeterna mortales docent, atq; hi in atrio manent. Quidam verò ex his etiam Sanctum ingrediuntur, quorum est

& thymiana & candelabrum & panes, hoc est, qui illò in
 obscuro lumine DEI benigne illuminati, panem vitæ copiose
 proponunt, singularibusq; Spiritus Sancti donis & virtuti-
 bus fragrantissimum spirant Domino odorem. Sanctissi-
 mum a. soli Christo Catholico DEI patris sacerdoti conces-
 sum est, qui tamen exinde, quæ nobis utilia ac salubria sa-
 tis manifestavit. Priorum ergò Theologiam rectè exoteri-
 cam, secundorum acroamaticam vocamus. He duæ au-
 tem species non re considerata differunt, sed modo dun-
 taxat considerationis. objectum habent idem, quo ad ma-
 teriale; diversum autem, formale si spectes. ILLA ex
 libris paucioribus & minoribus; HÆC ex plurimis & com-
 pletioribus hauritur. ISTA pium ac Christianum ani-
 mum requirit, multorumq; esse potest; HÆC præterea illu-
 stre ac ab ipso DEO artifice delibatum ingenium poscit, stu-
 dium maximè sedulum, debitaq; multa studiorum admini-
 cula. Varia autem sunt hujus verè solide cognitionis impe-
 dimenta, magna quoq; sublimitas ac difficultas, ut pauci
 hanc metam attingant. Nos hac vice cum DEI gratiâ alis
 quot consiliis, quantum possumus, juvare in animo habemus.

THEOREMA I.

Sit ergo primum medium: accurata scriptura sanctissi-
 me lectio & consideratio.

Quod de Verbo DEI hypostatico Johannes c. i. v. 10. affirmat,
 rectè etiam de verbo DEI externo dicimus: in mundo erat, &
 mundus ipsum non cognovit. Omnes extra Ecclesiam Christi istud
 contemnunt, Pontificii, Anabaptistæ, Calviniani, Photiniani
 & Weigeliani parvi faciunt, nos ipsi magnam nauseam nostram
 fateri cogimur. Meritò hodie cum Davide quærimus & queri-
 mur ex Psal. 119 v. 126. Tempus est ut faciat Dominus, dissipaverunt
 enim legem tuam. Id quod etiam maximorum hodiernorum malo-
 rum causam esse non sine causa cum Chryostomo ad Colos. c. 3.
 homil. 9. affirmamus. Unicuiq; verò, qui non superficialiam,
 sed solidam ac intercutaneam, ut sic dicam, Theologiæ scien-
 tiam

tiam sibi acquirere studet, curiosè & contentè SS. scriptura lectitanda & consideranda est. Exemplum hac in re nobis illud *omnium virtutum luculentissimum exemplar David est*, qui in Psal. 119. (quem *velut normam in studio Theologiae Lutherus sequendum esse monet* in præf. tomi 1. German.) *verbum DEI amat*, v. 47. 48. 72. *desiderat*, v. 20. 40. 131. *in eo letatur*, v. 14. 15. 16. *illud querit*, v. 45. 94. *meditatur* v. 15. 23. 48. *in corde recondit* v. 11. *custodit* v. 8. 17. 129. *sibi proponit*, v. 30. *in eo haeret* v. 31. *confidit* v. 42. *sperat* v. 43. 114. 147. *in omnibus respicit* v. 6. *ad illud pedes vertit*, v. 59. *de illo loquitur*, v. 46. 78. 97. *cantat*, v. 54. *eius credit*, v. 66.

Lutherus cuidam sciscitanti, qua ratione studia sacrarum litterarum rectissimè institueret, respondisse dicitur: *Si cogitaret, sacras litteras non regum esse, quæ bis aut ter legi debeant, sed Divinae Majestatis verba, longe majori diligentia & attentione legenda & expendenda esse* Chytr. de studio Theol. f. m. 5. Idem beatissimus pater noster Lutherus, à quo omnes veri Theologi feudum accipere necesse habent, ut Dn. D. Mòrlinus dicere solitus est, in præfatione super Postill. Spangenbergii elegantissima hac Climace utitur: *Sürwar du kanst nicht zuviel in der Schrift lesen / vnd was du wol liesest / kanstu nicht zu wol verstehen / vnd was du wol verstehest / kanstu nicht zu wol lehren / vnd was du wol lehrest / kanstu nicht zu wol leben.* Si ergò quis quæreret, quid primum in Theologia? responderem, *verbum Dei diligenter legere*, quid secundum? *verbum Dei rectè intelligere*, quid tertium? *verbum Dei custodire & facere.* Quare in numerum verorum Theologorum non admittimus D. Carol stadium, qui referente Johanne Aurifabro in præf. colloq. Lutheri, *per octennium Theologiae Doctor salutatus fuit antequam legere Biblia inciperet.* Ut autem eò feliciter in hoc studio progredi *mirabilia legis* videre Psal. 119. 18. *חֵסֶד בְּסֵתֶר* sapientiam in abscondito Psal. 81. 8. *perpicere הַיְהוָה יְסֹוד* secretum Iehovæ intelligere Psal. 25. 14. & ita potentes in scripturis fieri possimus Act. 18. 24. hæc sequentia tum generalia tum specialia consilia ac præcepta sedulò observanda sunt.

THEOREMA II.

Generalium hoc primum est: Comparentur Biblia Hebraea,

braea, Græca & Latina cum primis Osiandri & Tremellii, una cum versione Germanicâ Piscatoris.

Dici vix potest, quantum utilitatis habeat ipsa *fontium & textus Originalis lectio*. 1. facit firmum & certum animum, ubi contra ii, qui saltem alienis oculis vident, sæpe magna dubitatione de versionis veritate agitantur, præsertim cum ab aliis aliter redditum esse audiunt. 2. multo melius dicta intelligi, profundius perspicere & utilius explanari possunt. Multa n. in textus originalis vocibus, phrasibus, & notis eximia latent, quæ ex versionibus nec Argus deprehendet. 3. Adversarii hodie sæpe ad fontes nos revocantes rectius refutari & convinci possunt. 4. res quoq; jucunditatum plenissima est, ipsas sanctissimorum ac sapientissimorum Prophetarum & Apostolorum litteras, verba, phrasas & genus dicendi perpendere, qui certè nec vocem frustra posuere, sed omnia tali oculatissima solertiâ collocarunt, qualem *in nullo alio alius lingua librò vel sagacissimus ingenii inveniat*. Cum igitur V. T. Hebræo, N. Græco sermone primum conscriptum sit Alsted. præcog. l. 2. c. 112. propterea quilibet accuratus Theologiæ studiosus Hebræa & Græca Biblia diligenter scrutetur. *Exemplaria Bibliorum* quod attinet, varia prodierunt; quædam *sine versione*, quædam *cum versione*.

Sine versione Hebræa 1. in folio Venetiis Anno Christi 1517. per Bombergum impressa cum Targum & variis Rabbinorum commentariis.

2. Per eundem Anno 1524. cui in fine major & minor Mafora adjecta est.

3. Anno Christi 1494. Pisauri in folio & in quarto correctissimè ut ait Buxtorfius.

4. Iterum per Bombergum Anno 1511. in quarto.

5. In quarto à Christophoro Plantino sapius.

6. In octavo Basileæ Anno 1610.

7. In 16. à Plantino.

8. In quarto Lutetiæ per Robertum Stephani typo illustri & majusculo.

9. Ab eodem in 16. elegantissimè & correctissimè Anno 1544.

Græca

Græca & quidem *Novum Testamentum* sæpius excusum, cuius prostat.

Versiones sunt vel *antiquæ* vel *recentes*. *Antiquæ* prodierunt vel *ante Christum* utpote I. *Chaldaica* V. T. translatio vel potius paraphrasis *Targum* dicta, II. *Græca* LXXII. interpretum, vel *post Christum natum*, nempe I. *Octo Græca à Aquila, β Theodotionis* sub *Commodo Imperatore*, γ *Symmachi* sub *Severo*, δ *Anonyma* Hiericho inventa, ε *Anonyma* apud *Nicopolin* reperta sub *Alexandro*, ζ *Origenis*, ζ *Luciani* cujusdam sub *Dioletiano*, η *Hesychii* 2. *Translatio Syriaca* N. T. ab *Apostolis* vel *Apostolorum discipulis* facta, ut quidam putant. 3. *Latina* versiones præcipue tres, I. *Itala* quædam, quam *Augustinus* laudat, II. *Vulgata*. III. *Hieronimi*. *Recentes* versiones plurimæ sunt, videlicet *Latina*, *Germanica*, *Gallica*, *Anglica*, *Italica*, *Hispanica* &c. In *Latinum Santes Pagninus* in *Gallia* Anno 1528. *Biblia fidelissimè* convertit. Anno 1534. *Sebastianus Munsterus* & *Sebastianus Castalio* in *Germania*. Anno 1543. *Leon Juda* Theologus *Tigurinus*, & tandem *Immanuel Tremellius*, & *Franciscus Junius*.

Prodierunt ergo aliquot præclara *Bibliorum* opera, in quibus *textus originalis* & *versiones conjuncta* sunt. I. *Origeni*, qui *versiones Græcas*, LXXII, *Aquilæ*, *Theodotionis*, & *Symmachi* columnis oppositis conjunxit, eaq; *Biblia tetrapla* vocavit. Postea *textum Hebræum* & eundem *Græcis litteris exaratum* præmisit, eaq; *Hexapla* appellavit, deniq; cum etiam posteriores duas *Græcas* adjunxisset, *Octapla* vocavit.

II. *Biblia Complutensia* Anno 1517. quatuor *linguarum Hebraicæ*, *Chaldaicæ* cum *interpretatione*; *Græcæ* cum *translatione*, & *Latinæ Hieronimi*.

III. *Biblia Augustini Nebiensis Episcopi*, in quorum *singulis pagellis octo columnæ dispositæ*; in *prima textus Hebræus*, in *secunda Latina versio Hebræo respondens ad verbum*, in *tertia Latina vulgata*, in *quarta Græca*, in *quinta Arabica*, in *sexta Targum*, in *septima Chaldaicæ Latina translatio*, in *octava Scholia & notæ*.

IV. Se-

IV. *Sebastiani Munsteri Hebraica eum translatione Latina & annotationibus haud poenitendis.*

V. *Antverpiana Sive Regia, Hebraicè, Chaldaicè, cum Interpretatione; Græcè cum expositione & Latinè, in N. T. etiam Syriacè cum translatione.*

VI. *Francisci Vatabli, Hebraicè, Græcè & Latinè.*

VII. *Hamburgensia, Hebraicè, Græcè, Latinè, & Germanicè. De quibus omnibus & aliis plura legi possunt in Buxtorffii Bibliotheca Rabbinica p. 264. seq. in Epist. dedic. lex. Hebr. in Pelargi Bibliotheca ferè in principio & in Bibliotheca Theologica Bolduani.*

Hæc sunt quidem maximè illustria opera, sed tamen ita comparata, ut non quivis partim ob raritatem, partim ob caritatem ea nancisci possit. Interim sufficere quoq; possunt *Aria Montani, Elia Hutteri & Venetiana.*

Commendanda autem imprimis sunt *D. Andreae Osiandri Biblia*, quæ præter Latinæ versionis emendationem & locorum difficultium succinctam explicationem multas utilissimas observationes continent.

Tremellii versio etiam suam laudem meretur, scholia verò utpote in aliquot locis Calviniano veneno infecta, cum salis grano legenda sunt.

De *Lutheri versione* hoc Bugenhagii iudicium fuit; *Vos adolescentes consulite Germanam versionem viri Dei sancti D. Martini Lutheri, quæ est omnium optima: Germanica versio potest vobis esse in plerisque locis vice magni commentarii.* Chytr. de studio Theol. p. 5. *Eam solam plus lucis afferre lectori dicit, quam plerosq; commentarios.* Sturmius de Exercit. Rhetor. ad Philippum Comitem Lippianum p. 8. inquit: *Si hujus Germanica translationi ceteræ Græcorum, Latinorum aliorumq; comparentur, cedere cogentur, perspicuitate, puritate, proprietate, similitudine Hebraica originis. Credo ut Apellens nemo legitur pictorum superasse: ita ne scriptorum quidem quinquam Lutheri versionem poterit vincere.*

THEOREMA III.

Secundum medium: Comparanda sunt Concordantia Hebrae, Graecæ, & Latinae, quæ ad significationes vocum eruendæ

eruenas & loca scriptura conferenda plurimum con-
ducunt.

Concordantie sunt indices absolutissimi totius scripturae
Sacrae juxta Alphabetum, in quibus quaelibet vox, quoties & ubi
in Bibliis occurrit, notata est, supra V. T. Hebraeae, super N.
Graecae, super utraq; Latinae & Germanicae. De hujus libri usum
ego, inquit Dn. D. Franzius de Interpr. p. 70. *Usum ipsius multi-
plicem & prope infinitum expertus, laudibus satis grandia effari non
possum. Hunc enim librum in Bibliotheca Theologica post ipsa Biblia He-
braea, ante omnia probatissima lexica, & ante omnia monumenta scri-
pta a divinis hominibus super libros sacros primum locum occupare debere,
mecum profitebuntur, quotquot rem ipsam tentare & continuare non
detrectarint. Qua ratione autem hisce Concordantiis utiliter
aliquis uti possit, nimis longum foret, hic tractare. Videri hoc
ipsum sufficientissimè potest in dicto Dn. D. Franzii libro & lo-
co. Hoc addimus, cum Hebraeae Venetiis & Basileae excusae
difficilius acquirantur, comparari interim potest Marini Papulae
Arca Noe sive lexicon Venetiis impressum quo istarum defectus
compleatur.*

THEOREMA IV.

*Tertium medium: Ut singularum vocum nativa signi-
ficationes percipiantur, opera non erit dispendium, si diebus
singulis vox una vel altera in prima parte Clavis Flacianae
percurratur, simulq; vox eadem in Lexico Schindleri conside-
retur, & tandem beneficio Concordantiarum loca in quibus
reperitur inquirantur & considerentur.*

Et amanda & magnificanda est Grammatica enarratio vocabu-
lorum, quorum usus est in praecipuis locis doctrinae caelestis, quantum enim
erratur in verbis, tantum etiam de rebus ipsis amittitur, ait Chemnitius
L. C. part. 2. de Justif. Multi sustulerunt peccatum originis, quia
peccatum vulgò significat actionem a sciente & volente commissam,
idem de peccato c. 2. Sic multi fidei, justitiae, gratiae, carnis,
spiritus &c. aliam sibi significationem imaginantur, quam quae
in scriptura intenditur, ac hac ratione saepe in magnos errores
prolabuntur. Quare non oscitanter audire Theologicas voces, sed co-
vari sententiam in singulis vocibus latentem perscrutari, non est segnitium
ad pie-

ad pietatem, sed eorum, qui similes fieri Deo student. Similitudo enim non contingit absq; cognitione, cognitio autem ex doctrina est, sermo verò doctrinae principium existit, sermonis a. partes sunt syllabae ac dictiones, Basil. Magnus in part. 2. Flac p. 122.

Vix autem melior & accommodatior modus veram, usitatam ac propriam vocum sacrarum significationem acquirendi datur, quam ex dictorum librorum tradito usu. Ex iis enim discis 1. genuinam vocum in scriptura significationem, quae, ut alia disciplinae, suas peculiare phrasas habet & modos loquendi. 2. Vides varias unius vocis significationes, quarum notitiâ multa obscura loca declarare, omnia melius intelligere, exactiusq; interpretari potes. Exemplo hoc unicum esto: Vocis *tenebrarum* in Flacio sex significationis reperies. 1. sumitur pro ignorantia Dei, 2. pro calamitatibus, 3. pro impietate, 4. pro loco mortuorum, 5. pro inferno, 6. pro secreto. Jam si vis explicare dictum illud Jes. 9. *Populus, qui sedet in tenebris, videt lucem magnam*, & conjungis perpendisq; diligentissime illas significationes *tenebrarum*, poteris de hac sola infidelium descriptione integram ac utilissimam conficere concionem, similiter in verbo sedendi & lucis progredieris. 3. Hac ratione etiam multae jucundissimae ac pulcherrimae phrasas, saluberrimae sententiae, interpretationes, loca paralela & alia nota fient, paucis; multis verbis hujus exercitii utilitas exprimi non potest.

Tenebrae

THEOREMA V.

Quartum medium: Colligenda sunt regulae ad verum scripturae sensum eruendum utiles & accommodatae.

Quaquam enim Scriptura divina, quod ad salutis negotium attinet sit satis clara, interim tamen carnis sapientia & impietas, ignoratio catecheseos & linguarum, interpretum inscitia ac malitia, sermo utpote aliarum gentium nobis difficilis, valde figuratus, defectus compositorum verborum, vocum varia significatio, res mysticae ac caelestes ac alia saepe nobis dicta scripturae difficilia & obscura reddunt. Magnificè enim & salubriter Spiritus S. scripturas ita modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus a. fastidium detergeret inquit August. de doctr. Christ. l. 2. c. 6. Hanc difficultatem praeter ardentem orationem, catechetica mysteriorum cognitionem, sermonis sacra-

sacrarum litterarum notitiam, assiduam meditationem, veram ac vivam experientiam, diligentem repetitionem, bonas versiones, fidos interpretes, magnam partem etiam per ejusmodi regulas superare possumus. In primis a. commendandæ sunt illæ, quas *Flacius secunda auree sue clavis parte* magno numero, sapientia & usu collegit, item *Erasmus in Methodo*, *D. Gerhardus* libro de interpretatione, *D. Finckius* in canonibus, *Glasius* in philologia, *Alstedius* in præcognitis part. 2. à cap. 99. usq; ad cap. 128. *Hyperius* per totum librum secundum, & *Do. D. Franzius* in suo de Interpretatione tractatu.

THEOREMA VI.

Non malè collocabitur tempus & opera si Bibliothecam sanctam Sixti Senensis sibi comparet Theologia studiosus, eamq; sibi familiarem reddat, ut illa, quoties opus fuerit, uti possit.

*Sixtus Senensis pontificius opus edidit Bibliothecæ sanctæ nomine, non magnæ molis, octo quidem libris constans, sed unitomo, ut vocant, sufficiens. In libro 1. de numero, partitione & autoritate divinorum voluminum. In 2. de scripturis & scriptoribus, quorum in sacris voluminibus mentio fit. In 3. de arte exponendæ sacras litteras. In 4. de catholicis sacrorum librorum expositoribus. In 5. de annotationibus & censuris in expositores librorum V. T. In 6. de annotationibus & censuris in expositores N. T. In 7. adversus N. T. oppugnatores. In 8. contra V. T. oppugnatores agit. Quæ omnia cum non parum SS. lectores adjuvent, quilibet videt, quod hic autor non sine utilitate legi possit, modò caveatur, ne fermento Papistico, quod interdum inspergit, quis inficiatur. Ex bonis ac veris suam sententiam confirmet ex falsis Adversariorum errores agnoscat & vitare discat. Et hac ratione omnium hæreticorum libris, qui nonnunquam plura præclara & notabilia continent, uti fruiq; potest, non aliter ac *Israelitæ Ægyptiorum spoliis*, quo simili *Augustinus l. 2. de doctr. Christ c. 40.* etiam ipsorum Ethnicorum scripta perlegenda censet & probat.*

THEOREMA VII.

Sextum medium: Cum expositiones, conciliationes, collationes dictorum & similia annotari debeant, opus erit,

ut compacta habeantur distincta volumina, secundum ordinem Bibliorum, ubi singulis capitibus aliquot tribuenda erunt folia, ut quaecumq; ad expositionem dictorum faciunt & ubiq; leguntur vel audiuntur, ibi breviter notari, atq; sic ad locos Biblicos referri possint.

Duo volumina in folio libris V. T. duo N. T. libris assignentur, in fronte cuiusq; folii nomen & caput libri ponatur, cuiq; autem capiti pro ratione materiae 2. 3. 5. vel 6. folia tribuantur. Ubi in genere praemittes 1. capitis summam ac scopum. 2. generalem partitionem. 3. versiculorum per quinarium denarium &c. distributionem. 4. in specie de unoquoq; dicto principali 1. proprias meditationes colloques, 2. singulares vocum & phrasium emphases, 3. Patrum, si qua tibi in legendo occurrunt expositiones, 4. Luteri, ubicunq; eam legeris, & una aliorum orthodoxorum Theologorum sive mortuorum sive viventium, sive in libris extent, sive audias. 5. Hæreticorum quoq; junges, utpote Pontificiorum, Anabaptistarum, Calvinianorum, Photinianorum, Weigelianorum &c. 6. Refutatio subnecti posset, vel ad minimum loca, ubi ab aliis improbantur. 7. Addatur distributio illius dicti, 7. Usus. Videatur Dn. D. Gerhardus Meth. c. 4. p. 159. ubi addit: *Quicumq; hæc annotaverit, vel annotata habuerit, is præclarum eruditionis Theologicae thesaurum sibi comparabit, & ad concionum ac disputationum exercitium adminiculo instructus erit longè utilissimo.*

THEOREMA VIII.

Septimum medium: Cum interpretes hic quoq; debeant consuli, & verò illorum magna sit varietas, delectus ante omnia debet institui. præcipuos hic paucis nominare licet.

Interpretum multa sunt officia, multa quoq; dona quæ omnia hoc loco prosequi non est animus. Tantum duo signa jam indicabimus, quibus optimi facile agnosci possunt. 1. Est, *sensum scripturae verum ac genuinam solidè & præspicue proponere.* 2. *Christum verè, sedulo ex scriptura cuius ille unus scopus est, monstrare.* Nec enim sapit vetus (immò universa) scriptura, si non Christus in eâ intelligatur, ait August. tract. 9. in Joh. Et Beatus ille Luterus super verba illa Psal. 40. in libro de me scriptum est: *Sodence nun/*

Num / wer da wil in diesem Buch studieren / das er darinnen nichts
anders suche / denn das / so der Psalm sagt / nemlich / den Sohn Gottes
für uns williglich vnd gehorsamblich ein Brandopffer worden /
zu versöhnen Gottes Zorn im Himmel vnd Erden vnd allen Crea-
turen. Quod qui observat, magnam differentiam deprehendet in-
ter Luteri & Pseudodotorum licet alias doctissimorum commen-
taria. Ille una, simplici ac propria scripturæ expositione ani-
mos confirmat; hi tantum variarum sententiarum collectione
dubios reddunt; ille ubiq; de Christo, fide, charitate, spe, cru-
ce, lege, Sacramentis lectores erudit; hi variis quæstionibus &
aliis inanibus curiositatibus fidem labefactant. paucis; videbis
Lutherum solam Christi gloriam aliorumq; salutem; hos nihil nisi pro-
prium sapientie famam querere, quod unusquisq; pius Lutheri, Je-
suitarum, & Calvinianorum commentaria fideliter inter se con-
ferens nobiscum fatebitur. Nunc præcipuos (plures n. cernere
sunt in Bibliotheca Pelargi, Bolduani, Sixti Senenses) sacrorum vo-
luminum interpretes recensibimus.

In universam scripturam commentati sunt Nicolaus Lyra,
Lucas Osiander, Conradus Pellicanus, Alphonsus Tostatus, E-
manuel Sa, quibus adjungi possunt annotationes Vatabli, Tre-
mellii, Piscatoris & Andreae Osiandri.

In Pentateuchum, Chytræus, Pelargus, Ferus, Junius.

In Genesin, Lutherus, Lyserus, Gesnerus, Rungius, Pere-
rius, Paræus.

In Exodum, Brentius, Rungius, Pererius, Försterus. *Simulæ Kun*

In Leviticum, Brentius & Serranus.

In Numeros, Chytræus, & qui totum Pentateuchum ex-
plicarunt.

In Deuteronomium, Lutherus, Bugenhagius, Franzius.

In Iosuan, Brentius, Chytræus, Balduinus, Masius, Lava-
terus, Serarius.

In Iudices, Chytræus, Balduinus, Martyr, Lavaterus, Bu-
cerus, Ferus, Serarius.

In Ruth, Brentius, Chytræus, Balduinus, Mercerus, Lava-
terus, Drufius, Gualterus, Serarius.

In libros Samuelis, Lambertus, Bugenhagius, Bidenbach,
Calvinus, Martyr.

In libros Regum, Wellerus, Martyr, Piscator.

In Paralipomena, Sarcerius, Lavaterus, Basilius, Zanchius.

In Esdras & Nehemiam, Sarcerius; Wolffius, Lavaterus, Strigelius, Ferus.

In librum Esthere, Brentius, Drusius, Wolffius, Lavaterus, Ferus, Serarius.

In Iobum, Brentius, Bugenhagenius, Calvinus, Mercerus, Lavaterus, Johannes de Pineda, Eugubinus.

In Psalterium, ex parte Lutherus, Mörlinus, Gesnerus, Heshufius, Calvinus, Marloratus, Musculus, Bucerus, Jansenius, Bellarminus.

In Proverbia, Draconites, Mercerus, Lavaterus, Jansenius, Joh. de Pineda.

In Ecclesiasten, Brentius, Leutherus, Mercerus, Lavaterus, Bucerus, Arias Montanus, Jansenus, Lorinus.

In Canticum Canticorum, Franciscus Lambertus, Peresius, Mercerus, Orofius, Delrio, Heilbrunnerus, Piscator.

In omnes Prophetas, Johannes Pappus, & Philippus.

In quatuor Majores, Calvinus, Marloratus, Oecolampadius, Christophorus à Castro, Hector Pintus.

In Iesaiam, Brentius, Wigandus, Arcularius, Forsterus, Bullingerus, Musculus, Hyperius, Gualterus, Didacus Alvaretz.

In Ieremiam, Bugenhagenius, Bullingerus, Lavaterus, Polanus, Delrius.

In Threnos Ieremie, Bugenhagenius, Hunnius, Bullingerus.

In Ezechielem, Hafenrefferus, Polanus, Junius, Lavaterus, Pradus, & Wilalpandus.

In Danielelem, Lyserus, Hunnius, Gesnerus, Bullingerus, Polanus, Junius, Rollochus, Pererius.

In Prophetas minores, Lutherus, Lambertus, Hunnius, Winkelmannus, Drusius, Danæus, Ribera, Joh. Tarnovig, Himmelig.

In Hoseam, Gesnerus, Mercerus, Paræus, Tremellius, Zanchius, Polanus, Meisnerus.

In Ioëlem, Mercerus, Genebrardus, Gesnerus.

In Amos, Brentius, Laurentius, Mercerus, Heidenreich.

In O.

In Obadiam, Draconites, Urbanus Regius, Heidenreich,
Gesnerus.
In Ionam, Brentius, Bugenhagius, Chytræus, Gallus, Hei-
denreich, Junius, Grinæus, Strignitius.
In Micheam, Chytræus, Selneccerus, Heidenreich, Bibli-
ander.
In Nahum, Chytræus, Gesnerus, Bibliander.
In Habacuc, Willichius, Capito, Johannes Cæsar.
In Sophoniam, Selneccerus, Regius, Bucerus, Cæsar.
In Haggeum, Cornerus, Schilterus, Leichterus, Baldui-
nus, Grynæus.
In Zachariam, Chytræus, Balduinus, Oforius, Savonarola.
In Malachiam, Chytræus, Balduinus, Polanus.
In omnes libros Apocryphos V. T. Nicolaus Serarius.
In Iuditham, Favardentius.
In librum Sapientie, Selneccerus, Hemmingius, Jansenius,
Oforius, Lorinus.
In Tobiam, Selneccerus, Heidenreich, Drufius, Münsterus.
In Syracidem, Chytræus, Sarcerius, Matthesius, Lorichius,
Simlerus, Jansenius, Huberinus, Fridericus Rothen.
In libris Maccabeorum, Chytræus, Drufius, Victorinus Stri-
gelius, Wilhelmus Melton, Sedelius.
In Baruch, Strigelius & Sedelius.
In Supplementum Danielis, Christophorus Petersdorff.
In Orationem Manassis, Forsterus & Mencilius.
In Novum Testamentum, Erasmus, Brentius, Flacius, Beza,
Marloratus, Aretus, Bullingerus, Gualterus, Piscator, Alphon-
sus, Salmeron, Johannes Benedictus.
In quatuor Evangelistas, Harmonia Osiandri, Chemnitij, Bar-
radii, Jansenii, Camerarius, Musculus, Toffanus, Bucerus,
Gualterus, Marloratus, Arias Montanus.
In Mattheum, Chytræus, Hunnius, Pelargus, Junius, Pau-
lus de Palatio.
In Marcum, Brentius, Winckelmannus, Danaeus.
In Lucam, Brentius, Winckelmannus, Lambertus, Dida-
cus Stella.

In Iohannem

In Iohannem, Brentius, Chytræus, Selneccerus, Hunnius, Hemmingius, Rollocus, Pererius, Toletus, Ferus, Pelargus.

In Acta Apostolorum, Erasmus, Justus Jonas, Loffius, Arcularius, Pelargus, Calvinus, Bullingerus, Arias Montanus, Ferus, Lorinus, Stapletonus.

In Epistolas Paulinas omnes, Bugenhagius, Georgius Major, Sarcerius, Hunnius, Selneccerus, Heshufius, Balduinus, Hemmingius, Bullingerus, Catharinus, Jacobus Faber, Prateolus, Arias Montanus, Benedictus Justinianus.

In Epistolam ad Romanos, Lutherus, Brentius, Mylius, Rungius, Weinreich, Hyperius, Antonius Fay, Paræus, Toffanus, Rollocus, Gualterus, Pererius, Toletus, Oforius, Ferus, Stapletonus.

In I. ad Corinthios, Mylius, Rungius, Weinrichius, Hyperius, Paræus, Musculus, Stapletonus, Stevartius.

In II. ad Corinthios, Rungius, Weinrichius, Hyperius, Paræus, Musculus.

In Epistolam ad Galatas, Lutherus, Brentius, Winckelmannus, Hoë, Junius, Rollocus, Paræus.

In Epistolam ad Ephesios, Wellerus, Major, Musculus, Weinrichius, Hyperius, Zanchius, Rollocus, Musculus.

In Epistolam ad Philippenses, Sarcerius, Hyperius, Zanchius, Musculus, Stevartius.

Ad Colossenses, Grynæus, Rollocus, Adamus Sasbouth.

In utramq; ad Colossenses, Willichius, Zwinglius, Rollocus, Stevartius.

In utramq; ad Timotheum, Alesius, Cruciger, Willichius, Chytræus, Hyperius, Fay, Adamus Sasbouth.

In Epistolam ad Titum, Major, Hyperius, Zwinglius.

In Epistolam ad Philemonem, Brentius, Hyperius, Rollocus, Danæus.

In Epistolam ad Hebraeos, Major, Balduinus, Hyperius, Paræus, Nahum, Hemmingius, Ribera.

In Epistolam Iacobi, Althamerus, Winckelmannus, Fevardentius, Stevartius, Hemmingius.

In 1. & 2. Petri, Lutherus, Wellerus, Selneccerus, Winckelmannus, Fevardentius.

In Episto

In Epistolam Iohannis, Selneccerus, Althamerus, Eckardus,
Grynæus, Danaus, Ferus, Lorinus.

In Epistolam Iudæ, Lutherus, Pelargus, in Schola pæniten-
tiæ, Hyperius, Junius, Danaus.

In Apocalypsin, Chytræus, Camerarius, Hoë, Winckel-
mannus, Bullingerus, Junius, Foxus, Arias Montanus, Pere-
rius, Blasius Vega, Ribera.

THEOREMA IX.

*Octavum medium: In evolvendis libris Biblicis cer-
tus teneatur ordo & cum primis Evangelici & Apostolici co-
dices accurata ratione perlegantur; post subjungi poterunt
Prophetici & Historici V. T. ad ultimam verò lectionem re-
serventur libri Apocryphi.*

De accurata lectione, quæ in fontium, Concordantiarum
& interpretum inspectione, item in locorum Biblicorum colle-
ctione, aliâq; textuum cura consistit, loquimur; non de quoti-
diana & consueta, ubi ipse Bibliorum ordo servandus esse à ple-
risq; suadetur. Et hujus consilii rationes quilibet videt. *Vetus
enim Testamentum est occultatio Novi, & Novum manifestatio Veteris,*
Augustinus de vera relig. cap. 17. *Novum in Veteri latet, sed Vetus
non nisi in Novo patet.*

THEOREMA X.

*Nonum medium: Non inutile est, si Collegia Biblica in-
stituuntur & qua à singulis collecta sunt, in commune conse-
rantur.*

Nemo solus satis sapit, & oculi plus vident, quam oculus. Com-
municatus cum aliis labor etiam levior minorq; fit; sicut flu-
men, in plures rivos sparsum, minuitur. Propterea etiam in
hoc studio opus est aliorum ingenio & opera uti. Id optimè
fiet, si aliquot ingeniosi, industrii ac fideles amici Collegium
Biblicum instituunt. Ubi hac ratione progredi possunt. 1. Eli-
gendus est aliquis liber, & ex eò certa materia vel caput. 2. Di-
stribuantur versiones, uni Lutheri, alteri Tremelli, tertio Pisca-
toris, quarto vulgata assignetur, & si plures Collegæ, plures
versiones dividantur. 3. Unusquisq; aliquem bonum interpre-
tem su-

rem sumat. 4. Singuli collegæ ipsos fontes diligenter legant, & quæ ex illis observant, notent. 5. Pro suis ingeniis consignent summam & partitionem totius capituli. 6. Commentaria perlegant, & ex illis partitionem, analytice, dubia loca, doctrinas & alia colligant. 7. Certo tempore conveniant, & collecta recitent moderatore collegii suum iudicium interponente. 8. Videant, ubi textus dubius est, ubi interpretes impingant. 9. Quilibet alteri sua collectanea describenda communicet. Hactenus generalia de accurata Bibliorum lectione præcepta, quibus nunc quædam specialia subjungemus.

THEOREMA XI.

Specialium præceptorum primum est: bis vel ter textus in Latinis Bibliis Osiandri legendus est.

Divina eloquia n. tanto quicquid altius intelligit, quanto altius in ea intendit ait Gregor. super Ezech. Homil. 7. de qua re audiamus Dominum D. Franzium de Interpr. p. 62. seq: *Multa fuerunt obscura mihi oblata scripturarum loca, verbi causa ab Arianis objectum illud, Joh. 17. 3. Hæc est vita æterna &c. propter quæ in Evangelista Iohanne, singularissimis cum attentionibus & non uno sed diverso tempore tricies perlegi quinq; capita in Iohanne penitissime coherentia. Istud usu mihi venit in omnibus etiam prolixis prophetis, in quibus legendo plurimum profeci, & multorum locorum nativam sententiam facillime impetravi, quando & eadem capita sæpius evolvi.*

THEOREMA XII.

Secundum: Textus etiam in originali lingua debet perlegi, nempe in Hebræa, quo ad V. T. & Græca quo ad N. T.

Fontium ignorantia & neglectus multorum errorum mater est. Græci interpretes, quia Gen. 5. *meath* singularis numeri, pro *meoth* pl. num. acceperunt, jam septimum à mundo millenarium numerant. Qualem errorem illud: *Ipsa conteret* Gen. 3. peperit? Ex matrimonio *Sophistæ* Sacramentum fecerunt, quia vulgata versio Eph. 5. *μυστήριον* sacramentum vertit. Ergo rectè Augustinus Epist. 8. ad Hieron: *Veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, in novorum Græci sermonis normam desiderat.*

THEO-

THEOREMA XIII.

Tertium: Versio una & altera cum textu originali est conferenda, praesertim si eum non statim exponere, vel recte intelligere possimus.

Hac ratione n. paulatim quis adsuescet fontes propriis & ut sitatis verbis exponere ac explicare, tum etiam multae peculiare voces & phrasae occurrunt, quas ut ab aliis translatae sunt, videas, & necesse & utile est. Exempli gratia 2. Sam. 19. 25. fontes habent: *לֹא עָשָׂה רַגְלָיו נֶשֶׁת וְלֹא עָשָׂה שֵׁפָתָיו* quod ad verbum sic sonat: *Non fecerat pedes suos, & non fecerat labium suum.* Sed Lutherus recte hanc phrasin ita vertit: *Er hatte seine Füße noch seinen Bart gereinigt.* Sic, quid sit *אִשָּׁה קָשָׁה רַר* mulier dura spiritu, ex versione Lutheri recte assequeris *ein betrübtes Weib.*

THEOREMA XIV.

Quartum: Cogitandum est de argumento scopoq. capitulis, consignanda partitio & brevis Analysis. Ad Scopum omnia sunt dirigenda.

Impie prorsus sentiunt, qui somniant sacras litteras confusum quoddam chaos, damnantes hac blasphemia Spiritum S. tanquam is non optimus, sed possimus dicendi Magister esset, & non tam in omnem veritatem, quam in omnem errorem miseros mortales inducat Flac. part. 2. Cl. col. 681. Exemplo nobis sit justificatio & ejus partes. Hic 1. concionatur legem conterentem, 2. Evangelium reficiens, 3. fidem apprehendentem, 4. Spiritum obsignantem, 5. charitatem operantem. Contra alii multi scriptores prius Evangelium docent, alii totam renovationem justificationi proponunt aut aliter confundunt. Diligentes scripturae scrutatores experiuntur, quam artificiosè SS. eam disposuerit. Quilibet scriptor suum scopum sibi praefixit & ad illum sua argumenta accuratissimè ordinavit. Ut autem argumentum verè intellexisse maximum est interpretationis adjumentum, sit illud ignorare vel pervertere primum depravationis fundamentum. Ita si in Sacra Coena consideretur scopus, sensus perspicuus est. Non ibi Filius Dei typos ac umbros condidit, sed testamentum suum, ac cum charissimis discipulis loquitur, quibus omnia perspicuè dicere solebat, aut si quae obscurius

dicta erant, mox exponebat. Quis verò in testamento suo non propriissimè loquitur. Sic qui verum scopum cap. 9. 10. & 11. Epistolæ ad Romanos verè intelligit, ex multis difficultatibus sese facile evolvit.

THEOREMA XV.

Quintum: Evolvatur unus & alter interpretis, qui putatur esse optimus.

Et hinc consideres 1. partitionem ejus & analysin, 2. vocum explicatas Emphases, 3. dubia textualia & responsiones interpretis, 4. observes etiam, si quædam ab autore illo minus commodè fuerint dicta, præsertim si sit interpretis vel Calvinianus vel Papisticus & hæc omnia postea in locos Biblicos erunt referenda.

THEOREMA XVI.

Sextum: Post lectionem unius & alterius interpretis posset adjungi tertius, quartus & ita deinceps, una cum patrum commentariis, ut videas num isti aliquid peculiare habeant: quo pacto loci Biblici poterunt augeri & ad perfectiorem aliquam cum tempore perducere.

Verbum Domini *Seminis* simile est, quod in benefica terra in arborem excrecere potest, sub cujus ramis volatilia cæli habitare cupiant: cum enim licet exiguum, à bonâ terrâ recipitur, diligentemq; colonum nanciscitur, in parentem arborem diffunditur, ut sapientes hujus mundi levibus verborum pennis alta duntaxat sectantes, sub ea habitare desiderent. Quilibet n. locus SS. si diligenter excuciat, ingentem doctrinæ materiam potest supeditare Orig. in Exod. homil. 1. Unde vix aliquis tam infelix commentator nunc est, qui non eximium & quasi novum à prioribus non observatum proferat Flac.

THEOREMA XVII.

Septimum: Tandem si totus aliquis liber ita sit perlectus, tum optimè generalis aliqua dispositio ejusdem potest confici, quæ seorsim etiam & velut inter prolegomena, una cum aliis interpretum dispositionibus conferri debet.

Hæc.

Hac ratione enim eò facilius ac liquidius percipere ac intelligere totum librum poteris, melius etiam memoriæ infigere, cum ita sub oculos in synopsis & unum quasi conspectum omnia subiecta habueris, de cuius rei quatuor insignibus utilitatibus vide Flac. Cl. part. 2. col. 22. 23.

THEOREMA XVIII.

Secundum accurate cognitionis Theologiae medium est, Paullo accuratior librorum Symbolicorum lectio & evolutio.

Symbolum vox militaris est, & significat signum quoddam a præfecto militibus datum, quo statim ab aliis dignosci possint. Christus Filius Dei יהוה אלהים Exod. 15. 3. Jes. 42. 13. Deus exercituum, Sap. 5. 19. Habet exercitum Angelorum, 1. Reg. 22. 19. 2. Reg. 6. 17. Psal. 34. 8. Gen. 32. 2. Neh. 9. 6. Psal. 103. 20. Luc. 2. 13. Stellarum, Gen. 2. 1. Jes. 40. 26. Jud. 5. 20. Bestiarum, Sap. 12. 7. Joel c. 1. 5. & piorum hominum, 2 Tim. 4. 7. c. 2. 3. Eph. 6. Spirituali huic exercitui semper dedit quoddam Symbolum, quo veri ipsius milites agnosci & ab hostibus distingui potuere. Non enim omnes credunt Evangelio, Rom. 10. 16. & brachium Dei non omnibus revelatur, Jes. 53. 1. Multi doctrinam veræ Ecclesiæ blasphemant & persequuntur, multi corrumpunt, multi ovium vestimentis induti rapaces lupi sunt, propterea Symbolo opus fuit, quo veri Christiani ab hostibus discerni possent. Tale est 1. Symbolum Apostolicum. Refert Cyprianus de Expositione fidei, quod Apostoli in universum mundum discessuri pseudodocorum fallacias prævidentes summam à Christo acceptæ doctrinæ paucis aliquot capitibus complexi fuerint Symbolumq; vocarint, unde & hodie nobis Symbolum Apostolicum dicitur. Apud Irenæum l. 1. c. 2. (qui circa annum Christi 170.) & Tertullianum (qui 190. vixit) fermè totidem verbis Apostolicæ traditionis nomine extat, & ab Ambrosio serm. 38. de jejuniis clavis appellatur, qua scripturarum intellectus aperitur, vid. Chemn. Exam. part. 1. de tradit. p. 120.

Huc etiam pertinet Symbolum Nixenum, Athanasianum, Augustana Confessio, Articuli Smalcaldici, Lutheri Catechesis, & Formula Concordiæ, quæ omnia junctim in uno libro Concordia dicto excusa sunt, quem propterea studiosus Theologiæ familiarissimum sibi reddere debet, ut non tantum in vera Ecclesiæ doctrina erudiatur.

diatur & confirmetur, sed etiam Adversarios contradicentes refutare rectè possit. Licet n. pro *primaria* fidei norma, quæ sola & unica SS. est, illa Symbola non venditemus, pro *secundaria* tamen, ad quam singula dogmata examinari debent, ob apertum cum scriptura consensum, meritò habemus.

THEOREMA XIX.

Hujus autem rei studium sequentia præcepta dirigere possunt: Primò: Ipse textus saepe repetatur ac diligenter consideretur.

Non magnæ molis iste liber est, & brevi tempore, si illud solum huic operæ dicatur, sæpissimè perlegi & attentè considerari potest proprio in quibusdam notandis studio adhibito. Si etiam aliquis, nisi totum hunc librum, præcipua tamen ex eo in Germanicum sermonem transferret, ut ita ad unguem fere eum calleret, operam non perderet.

THEOREMA XX.

Secundò: Commentatores adhibeantur & studiosè perlegantur.

Nempe in *Symbola* schola fidei à Pelargo edita, in *Augustanam Confessionem & Apologiam* Pappus, Mylius, Arcularius, Lobechius, Franzius, in *Articulos Smalcaldicos* D. Balduinus, in *Catechesin Lutheri*, Spangenbergius, Pædagogia Selnecceri, Brentius, Lyserus, Scultetus, Försterus, Rungius, Møllerus, Barbarossa, Perkinsius, in *Formulam Concordiæ specialiter sic dictam*, Würtenbergensium scripta, Marbachius, Gesnerus, Hütterus, Andreas Osiander, Petrus Piscator, D. Matthias Hoë, Bericht der Theologen zu Leipzig und Wittenbergk/wieder die Predigten zu Zerbst.

THEOREMA XXI.

Tertiò: Coniungatur etiam lectio aliorum librorum ad Symbolicos proximè accedentium.

Quales sunt *Articuli Visitationis* & eorum declaratio, *Apologia Formule Concordiæ*, refutatio libri *Stafortensis*. Item quæ olim à quibusdam patribus collecti, nempe *Clementis Alexandrini ὁμιλίαι*, *Theophili Institutiones*, *Origenis libri πρὸς ἀρχαίαν*, *Cypriani*

priani Expositiones Symboli, Augustini Enchiridion & similes in quibus veræ fidei summa breviter comprehenditur vid. Chemn. L. C. lib. II pag. 10. & II.

THEOREMA XXII.

Quartò : Fiant loci Symbolici & colligantur in peculiari volumine illa, qua ad explicationem scriptorum Symbolicorum faciunt.

Rectè Lipsius in Instit. Epist. cap. 12. Breviter hac habe 1. lectionem ipsam non sufficere, 2. ne repetitam quidem, 3. nec in felicissima memoria, 4. sed opus esse excerptis quibusdam & notis rerum verborumq; singulorum, quas imitemur; quæ excerpta memorialibus libellis tanquam ætario contineri velim, unde sermonis illæ opes per tempus & ad usum promantur. Ita in hoc studio Symbolico peculiarem & purum habebis librum in quem notatu digna referas. Præmittes a. primò historica, de autore, tempore, occasione, loco & aliis. 2. Calumnias & generalia convitia Adversariorum, item alia vel Hostium vel Orthodoxorum judicia. 3. Subjunges brevem dispositionem & analysin juxta modum VVolffgangi Guntheri. 4. In quovis articulo genuinam Symbolorum sententiam, non quidem per modum controversiarum, sed breviter & succinctè explicabis. 5. Siquidem Adversarii in singulis ferè libris Symbolicis & eorum articulis aliquid desiderant, ad eorum objectiones respondebis.

THEOREMA XXIII.

Quintò : Instituaturs Collegium Symbolicum disputatorium, ubi materia nudus textus esse debet, & hac ratione ille diligenter legetur, accuratè examinabitur & adversariorum stropba & convitia proferri possunt.

Quicquid in hisce libris continetur & scitu utile, & cognitione necessarium & in scripturis sacris definitum est, propterea optimè & utiliter eorum materia disputari potest. Hos disputatores non ferit illud, quod Gerhardus Meth. ex Drusii præter. appendice citat: *Canis ad vomitum redit, qui nunc iterum in Academiis revocat Theologiam Scholasticam. Hi simplicitatem credendi convertunt in curiositatem & subtilitatem disputandi; quæstiones novas quotidie*

quotidiè excogitantes, quarum pleraq; inutiles sunt. Hoc illi capi-
pian, qui nocte lucem, nigra vertunt candidis

Et questionum tristitate condiunt

Natas in usum sobrii risus dapes. Scaliger.

Amicæ, candidæ, quietæ, modestæ & piæ concertationes mul-
tum profunt, ingenium acuunt, iudicium formant, facundiæ
copiam dapfilem subministrant, mores humanitate ornant, ser-
monem comitate perfundunt.

THEOREMA XXIV.

*Tertium medium est plenior locorum Theologicorum
vel controversiarum consideratio & collectio.*

Postquam Theologiæ studiosus Symbolicorum librorum
lectionem absolverit, opus quoq; habet aliorum scriptorum co-
gnitione, in quibus articuli illi & circa eos ortæ controversiæ
fufius tractantur. Illa locos Theologicos vocare solemus, quales
Rev. Dn. D Chemnitius, Hütterus, & Gerhardus ediderunt. Au-
diendi enim sunt præceptores nostri Theodidacti eorumq; scri-
pta legenda, ut ipsorum iudiciis ac sententiis mentes nostræ eru-
diantur ac fides confirmetur. Divus Hieronymus pios Doctores
procul in dissitis regionibus, Damasum Romæ, Nazianzenum
in Cappadocia, Epiphanium in Cypro, Apollinarium in Syria,
Didymum in Ægypto, Barrabanum Judæum in Palæstina, &
quidem noctu discendi gratia adiit, Chytræus de Stud. Theol.
Hic magnus vir, de quo quidem Augustinus scribit: Nullus hominum
scivit, quod ille ignoravit, tot ardua montium, tot lubrica vallium,
tot glebosa camporum, virorum illorum doctrinæ invitamento
perambulavit, & nos, quibus in Musæis nostris tanti viri per re-
lictæ scripta quotidiè concionantur, claudere oculos auresq;
obturare vellemus. Diligenter ergo horum divinorum homi-
num scripta legamus, non modò autem legamus, sed ex iis etiam
nos ipsi Locos Theologicos colligere debemus, de quo potissimum
hoc loco agimus.

Cæsar de bello Gallico lib. 6. p. m. 178. de veteribus Gallis re-
fert, quod in studiis suis hunc modum usurparint, magnum numerum
versuum, in quibus ipsorum doctrina & disciplina comprehensa erat, edi-
scere coacti fuerunt, unde nonnulli annos vicesos in disciplina illa per-
manserunt.

manserunt, litteris mandare nihil licuit, quod J. Cæsar duabus de
causis institutum putat, primò, quod istam disciplinam in vulgus efferrè
noluerint, secundò, ne discentes, confisi litteris, minus memoria stu-
derent, quod fere, inquit, pleriq; accidit, ut presidio litterarum dili-
gentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Hoc eruditissimi
Imperatoris consilium, ut in quibusdam non contemnendum,
sic tamen hoc loco non sequendum putamus. Licet n. quis tam
felicis sit memoriæ, ut 3000. vocum audita mox & eodem & in-
verso ordine reddere possit, ut ille Patavinus Juris studiosus,
Mureto teste; tamen ejusmodi Locorum Communium collectio
non modò necessaria, sed & apprime utilis erit. 1. Enim ista col-
lectione in stilo exercemur, dum & aliorum loquendi modum
videmus, & ipsi propriis verbis res illas consignare adsuescimus,
atq; hac ratione de rebus Theologicis Theologicè & usitato mo-
re loqui discimus. 2. Formatur & confirmatur judicium per
crebram illarum rerum repetitionem & notationem. 3. Compa-
ratur pretiosissimus thesaurus ex optimis aliorum scriptis, ex
propriis etiam observationibus, quæ non annotatæ, oblivio-
ne delentur. 4. Memoriæ fortius res imprimuntur. Vix enim
melior modus datur, quo res memoriæ citò mandari possunt, quam iterata
illarum rerum scriptio. 5. Variè collecta brevi spacio repeti pos-
sunt. 6. Quæ legimus, audimus & meditamur, ad sua loca re-
ferri possunt. 7. In concionibus disputationibus & discursibus
maximè juvamus. 8. Multos autores emere non necesse ha-
bemus.

THEOREMA XXV.

*Quomodo autem ista collectio instituenda sit, non om-
nes idem sentiunt, nec omnes eandem rationem sequuntur.*

*Alstedius præcogn. lib. 2. cap. 130. septem volumina compin-
genda suadet, in quorum primo de Theologiæ præcognitis, in
secundo, de Theologia Naturali, in tertio, de Catechetica, in
quarto, de Didactica, in quinto, de Sotyrologia, in sexto, de Pro-
phetica, in septimo, de Acroamatica Theologia agatur, secun-
dum suam Theologiæ divisionem. Nos sequentibus positio-
nibus & præceptis rem omnem includemus.*

D

THEO-

THEOREMA XXVI.

Primò : modus colligendi vulgarus secundum litteras Alphabeti, minus commodus est, nec probari potest.

Si tibi librum Locorum Communium confecisti, ejusque folia numeris notasti, potes etiam specialem secundum Alphabeti litteras indicem præmittere, & ibi singulas materias eo ordine notare, ut si forte nescires, quo in articulo de hac re egisses, ex illo indice statim certior fieri possis. Non autem in ipsis locis colligendis hac ratione procedes. Nam 1. nimis magna volumina compingenda essent, quorum usus non fieret sine gravi molestia. 2. Omnia miscerentur non tantum Theoretica & practica; sed etiam ipsa Theoretica, in principio ageres de Absoluto Decreto, de Æterna Vita, de Angelis, de Absolutione, de Anima &c. in fine de Scriptura &c. 3. Nullus locus accuratè & secundum omnes partes in uno loco tractaretur. Alibi ageres de Christo, alibi de ejus divinitate, humanitate, alibi de unionem personali, alibi de communicatione idiomatum &c.

THEOREMA XXVII.

Secundò: rectius fit, si locorum ordinem quis observet, & quemlibet seorsim pertractet, ut omnes controversiæ de loco aliquo mota simul ad eum referantur.

Non opus est, ut hic collector sit multum sollicitus de ordine, quo singulos articulos disponat, id enim multum laboris & curæ multis facit, alii placet illa dispositio, alii ista. Chemnitius L. C. part. 1. p. 13. & 14. tria methodica Theologiæ schemata proponit Flac. 2. part. Clav. col. 51. seq. quatuor methodos, Hasenrefferus iterum aliam, & sic plerique novam methodo progrediuntur. Generaliter in methodo locorum hæc observentur, ut nec prolixitate fatiget, nec brevitate obscuret, sed suavitate delectet, gravitate moveat. Alstedius. In specie verò notentur hæc duo; quæ omnem

1. hac in re difficultatem & sollicitudinem adimere possunt. 1. Collector servet illum ordinem ad quem in suo Theologico compendio adsuetus est, nempe vel Chytræi, vel Hutteri vel Hasenrefferi &c.
2. Crassa volumina non compingantur, sed fiant quaterniones. Ex quo consilio hunc usum habet, quod postea materias, pro ut vult disponere

disponere potest, si qui in compendio omitti articuli, addere, & si plena papyrus, jungi alia possit.

THEOREMA XXVIII.

Tertio: Collector non alio hunc laborem suscipiat animo, quam ac si peculiarem ipse tractatum de loco isto, cujus collectionem meditatur, conscribere velit.

Oppidò multum refert, quo animo ac proposito labor aliquis suscipiatur. Recte n. dicitur, *qualis finis, talis actio, & cause finales faciunt discrimina actionum*, Quo praestantior a. finis est, eò majori diligentia, prudentia, ac jucunditate in media ad illum finem perducenda incumbimus. Hoc ergo & Collector noster notet, ne tantum suam propriam utilitatem sibi proponat, & pro usus sui ratione interdum quaedam conferat; sed commune studiorum bonum intendat, & non aliter in hac re agat, ac si peculiare tractatus de illis locis ipse publici Juris facere velit. Quod etiam si fortè non fiat, interim tamen hæc intentio ad sedulum laborem incitabit, omnemq; laboris molestiam levigabit. Semper n. diligentiores sumus in publicis, quam privatis, & promptiores in iis quæ plurimum prosunt, quam in illis, quibus nos soli fruimur.

THEOREMA XXIX.

Quarto: In prima collectione adhibeantur duo vel ad summum tres auctores, iique probatissimi & orthodoxi, ne multitudinem confundamur, vel per heterodoxos seducamur.

Duo in hoc canone notanda veniunt 1. non statim & in prima collectione perfectos locos conscribi, sed res primum in peculiari charta colligi & quodammodo disponi debere, hac ratione n. loci postea & diligentius consignari & methodicè magis confici possunt. 2. est de autoribus legendis, ex quibus illa collectio fiat. Eorum numerus in principio copiosus esse non debet, sequitur enim confusio & perturbatio quæ semper multitudinis & varietatis comes esse solet, de qua re eleganter Seneca Epist. 2. *Certis ingenii, inquit, immorari & innutrirī oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubiq; est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut hospitia multa habeant, nullas amicitias, idem accidat, necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt.* Non

prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil
aque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Distrabit
animus librorum multitudo &c. Qualitas eorum consistit in
1. approbata probitate, ut videlicet omnium consensu pro eruditis,
expolitis & utilibus scriptis habeantur. 2. in Orthodoxia, ne ex
iis in hæreses & errores seducamur, quod facile per malos hæ-
reticorum libros fieri potest, nullum enim ipsis venenum præ-
sentius est, ut rectè Erasmus dixit. In primis ergo Chemnitium
commendatum sibi quisq; habeat, *cujus viri nomen etiam clarissimi
viri ubiq; non ut Theologi, sed ut Theologiæ usurpare solent. Quisquis,
inquit, & ipse certa veræ Theologiæ imago Dn. D. Gerhardus
Meth. p. 175. Accuratam locorum Theologorum cognitionem desiderat,
illi summopere commendamus Locos Theologicos Chemnitii, quos diligen-
ter evolvat, inq; succum & sanguinem convertat.*

THEOREMA XXX.

*Quintò: Autores isti primum curiosè sunt perlegendi
& observanda singulorum methodus, itemq; ubi proponant
statum, ubi argumenta confirmatoria, ubi objectionum fiat
solutio, & que sunt alia notatu digna.*

Primò istos autores curiosè diligenter & attentè perleges
& totam alicujus articuli tractationem in iis percurrens, habebis
autem 2. semper in legendo ad manus peculiare schedulas,
in quibus methodum, qua isti autores in isto loco usi sunt, in
typo vel tabella consignes, similiter quæstionum status, tum
pro nostra, tum pro adversariorum sententiâ, item argumenta
nostram fidem confirmantia, objectiones, solutiones, usus &
utilitates, & quæ sunt alia.

THEOREMA XXXI.

*Sexto: Post annotatam methodum cujuslibet autoris,
cogitet studiosus ipse de conveniente dispositione, cui omnia,
quæ autores isti de aliquo loco proferunt, optè & ordinè in-
cludi queant; ubi si hæreas, Doctor quidam consulendus est,
aut istius autoris methodus tenenda, quæ videtur omnia
esse optima.*

Ut non sufficit ligna præparasse ad domum, sed etiam

illa

illa componere atq; configere legitimo modo necesse est, sic non
satis est, singula membra aut articulos alicujus loci concinnas-
se; sed peropus quoq; illa membra aptè recteq; collocare &
conjugere. Ex eo duplicem sentimus utilitatem. 1. Res melius
intelligimus. 2. Felicius memoria mandamus. In omnibus a. rebus hu-
manis deprehenditur, non semper & ubiq; bene mortales disposuisse. Non
n. unius hominis aut ingenii est vidisse omnia, & nulla in parte animi a-
ciem inflexisse; nostra quoq; & aliorum diligentia aliquid relictum est.
Lipsius lib. 1. var. lect. c. 20. Propterea etiam accuratus Theo-
logia studiosus de conveniente ac utili dispositione, cum in au-
torum illorum methodo sua collectanea aptè includi non posse
videt, sollicitus sit, cum a. magis idoneam ipse excogitare non
potest, ex illorum autorum optimam seliget & observabit.

THEOREMA XXXII.

*Septimò: In arbitrio cujusvis relinquimus, an locum
aliquem in partes, vel sectiones, vel capita, vel articulos dis-
tinguere velit: nam in nomine membrorum parum mo-
menti positum, modo fiat apta dispositio & distinctio.*

Potes primò totum locum in partes, has in sectiones, istas in
membra, hæc in articulos, si opus fuerit, distinguere. Sic doctri-
na de Christo tres sunt partes. 1. de nomine, 2. de persona, 3.
de officiis. Partis secundæ tres sunt sectiones 1. de unione per-
sonali, 2. de communicatione Idiomatum, 3. de statibus.
Sectionis primæ tria essent membra 1. de materialibus unionis,
2. de modo, 3. de consequentibus. Primi membri duo articu-
li. 1. de divina natura Christi, 2. de humana ejus natura.

THEOREMA XXXIII.

*Octavò: dispositionem loci, quam observare cogitas,
in peculiari charta cum omnibus membris consignes, & sin-
gulis paginas apponas illorum trium autorum, ubi de talibus
membris agitur, ut sic omnia statim in ipsa collectione inven-
iri queant, nec opus sit operosa inquisitione.*

THEOREMA XXXIV.

*Nonò: tandem igitur ipsa collectio debet institui.
Hic si sit thema simplex, colligendum & dicendum aliquid*

erit de explicatione nominū, reali definitione, de causis, de proprietatibus vel attributis, de divisione, oppositis, cognatis & similibus. Si verò sit thema conjunctum & controversum, proponendus est 1. Status controversiæ, ubi sententia nostra declaranda & antithesis verbis ipsorum adversariorum, quantum fieri potest, proponenda. 2. Ex autoribus illis tribus colligantur præcipua confirmationis argumenta distinctè ex scripturis, ex analogia fidei, ex ratione, ex patribus, ex confessione adversariorum; simulq; addi poterunt exceptiones, si quas adversarii proferant. 3. Expedita confirmatione thesæ accedatur ad antithesin, & quandoq; ubi fieri possit, præmittatur generales distinctiones pro solutione objectionum. 4. Deinde & in specie distinctè respondeatur ad argumenta ex scriptura, ratione, Patribus: ubi mediteris primum, quid tu putes respondendum esse; post ex autoribus tuis responsiones colligas & significantibus terminis breviter includas.

THEOREMA XXXV.

Decimò: Caveas diligenter, ne omnia verbotenus exscribas ex autoribus, sed præcipua tantum annotes, & quidem tuis verbis, ac brevius, quam ipsi autores faciunt, alias non esset collectio, sed mera transcriptio.

Duo facit hic Canon: primò prohibet omnia ex autoribus à verbo ad verbum exterpere, ut si in loco de Deo peculiari capite de certaminibus & hæresibus ageres, omnia autem ex Chemnitio verbotenus eximeres, tunc fur & transcriptor audires. 2. jubet & præcipua annotare. ß propriis & non illorum autorum verbis, ut paulatim adsuescas sine libris ex proprio ingenio de articulis illis Latine differere. γ brevius tamen hoc facies, quam ipsi fecerunt autores, ne nimirum temporis in illis consumas, sed etiam ex aliis plura addere possis. Horatianum illud hic nostrum sit: *Quicquid colligis, brevis esto, ut collecta citò animo percipere, fideliter, tenere, feliciterq; reddere possis.* Tertullianus: *Certa sunt in paucis.*

THEOREMA XXXVI.

Undecimò: Sic autem absoluto aliquo loco, percurri deinde possunt autores alii eandem materiam tractantes, & si quid novi observetur, istud prioribus Collectaneis addatur.

*tur; quo pacto tandem perfectum prodibit opus locorum
communium.*

Monstramus nunc ulterius, quidnam studiosus post evolu-
tionem istorum autorum agere debeat. 1. Non putet sese om-
nia jam didicisse & propterea sibi ociandum esse, sed progredi
debet, aliosq; autores de istis rebus percurrere. Nihil est magis
noxium ac pestiferum in nostro studio quam securitatis malum
& satietatis vana persuasio, quam eleganti & perquam digna ir-
risione persequitur Lutherus tomo Jenensi Germ. De se vero fa-
tetur ille vir, cui cor *Æthna*, fulmen lingua, vox tonitru, calamus gran-
do fuit, quod tamen si Doctor ac predicator sit, non minori cum doctrina
tum experientia præditus, quam ii qui tanta de se præsumunt, & ad tan-
tam securitatem pervenerunt, haud quaquam tamen se imitari pueros
puduerit, & mane, aut quandocunq; vacui aliquid temporis datum, i-
psam Orationem Dominicam, decem præcepta &c. secum quasi ad ver-
bum recitari, in præf. Catechismi quæ exstat Concord. pag. 392.
Hoc Megalandri exemplum meritò omnes studiosos excitare de-
bet, ne unquam perfectam rerum illarum divinissimarum scien-
tiam sese adeptos esse arroganter persuadeant; sed in cursu &
studio semper permaneant, aliorumq; scripta diligenter evol-
vant. Aut enim in iis eadem invenient, & tunc loca hæc ad illa
annotari, sicq; in fide unà confirmari possunt; aut aliquid novi
reperient, quod jam collectis jungere, scientiam suam hac ra-
tione perficere, ac locos suos tandem ad integritatem perdu-
cere possunt.

THEOREMA XXXVII.

*Duodecimò: In fine per modum *εβεσων* addi potest
brevis recapitulatio omnium contentorum, ut ita & dispositio
totius loci & præcipua ejusdem momenta crebrius repeti, ac
memoriae fortius insigi possint.*

Exemplo sint propositiones & themata in fine Locorum
Communium Chemnitii.

THEOREMA XXXVIII.

*Quartum medium est collectio locorum practitorum,
vel in concionibus adhibendorum.*

Uc

Ue res in Theologia considerandæ sunt duplices; ita & modus cognitionis duplex est. Quædam enim sunt *necessariæ*, per se subsistentes, extra nos & arbitrium nostrum positæ, quales sunt Deus, Angeli, Sacra Scriptura, Sacramenta &c. quædam verò sunt *contingentes*, quæ fieri ab hominibus & nõ fieri possunt, ut sunt pœnitentia, bona opera &c. sic res illas in Theologia cõsideramus *uno modo* tantum in sese ut sunt, propter nudam veritatem, quieti, si quid sint, verè apprehendimus; *altero modo* autem quo etiam omnia illa ad usum & utilitatem quædam etiam in ipsam actionem nostram convertimus. Iste modus Theologiam *speculativam*, quæ de rebus sacris, quatenus sciri debent, tractat; hic *practicam* constituit, quæ de rebus sacris, quatenus ad usum nostrum spectant, agit. Illam non abs re *Systema*, hanc verò *Gymnasium Theologicum* dixeris; illam *Divinam Sapientiam*; hunc *Christianam Prudentiam*. Exempli gratia, qui veram cognitionem personæ & statuum Christi tradit, theoreticè tantum de eo agit, qui verò de Christi merito ita agit, ut homines ad fidelem ejus apprehensionem deducat, practicè de Christo agit. Et notandum, quod hæc divisio non tam *ex objectis* (nam etiam agenda, ut bona opera sub Theoreticam, & Theoretica nempe Deus quatenus honorandus, amandus &c. sub practicam considerationem cadunt) quam *ex considerationis modo desumpta sit*. Hanc practicam Theologiam Alstedius ulterius dividit in *communem*, quæ omnes Christianos attinet, & *propriam*, quæ solos ministros verbi, & hanc iterum in *Propheticam*, quæ in Ecclesia, & *œconomico politicam*, quæ in familia & republica pastoris officium concernit. Sicut a. Theologus sine theoria esse non potest; sic sine praxi esse non debet. *Christianismus est fides in Deum & charitas in proximum*. Ignatius Epist. 7. *Per fidem quidem sumus Domini imò Dii; sed per charitatem sumus servi, per fidem quidem omnia habemus, ut per charitatem omnes juvemus, per fidem accipimus bona à Deo ex celo, ut per charitatem emittamus in proximum in terra*, Luther. post. Eccles. p. 167. Et Lactantius ait l. 4. Instit. c. 4. *Deus intelligi debet, quod est sapientia, & honorari, quod est religionis, sicut a. sapientia precedit, sic religio sequatur. Sit fides vera, sed non sine vita sincera*. Propterea verus ad regnum Dei eruditus Doctor in primis hac arte instructus esse debet, ut de divinis rebus non modo veritatem & quid fiat doceat;

& doceat; sed etiam ita agat, quò homines ex illis à malo abstrahantur, ad bona opera excitentur, & in afflictionibus reficiantur. Comparabit a. eam inter alia, etiam Locorum Practicorum, ut vocantur, collectione, quibus in concionibus & alias utiliter sine difficultate uti potest.

THEOREMA XXIX.

Modus autem hujusmodi locos colligendi esse potissimum triplex potest. Primus, si assumatur vel index Biblicus Germanicus Johannis Piscatoris, vel thesaurus Latinus Vogelii, & quae ibi desunt, ac nova leguntur audiunturq; ea vel charte pura singulis foliis inserenda inscribantur, vel in peculiari libro, tanquam paralyponema, secundum seriem titulorum in ipsis libris impressis contentorum adsignentur.

Duplex modus Locorum Communium; Contractior, cum ad systema quoddam, utpote illum Indicem vel Thesaurum notatu digna annotamus, sive in margine, si latior est, sive in chartis puris interfertis, sive in peculiari libello. Alter modus plenior est, fitq; duobus modis sequentibus.

THEOREMA XL.

Secundus, si peculiare loci conficiantur secundum litteras Alphabeti, & ad eum modum, qui in Polyanthea Langgii observatus est.

THEOREMA XLI.

Tertius, si accuratè loci construuntur, non secundum litteras Alphabeti, sed secundum seriem materiarum; ubi annotandum aliquid de dogmatibus fidei, de singulis virtutibus, de vitiis, de locis consolatoriis in cruce, tentatione, tempore belli, pestis, caritatis, annone, morborum, mortis &c.

THEOREMA XLII.

Et si quis omninò impietate sectari vellet, quinque tomos locorum, secundum quintuplicem scripturae usum colligere deberet.

Omnes homines aegroti sunt, medicina Theologia est. Ut autem aegritudinis tria momenta; infidelitas, odium & impatientia, sic sanitatis, Fides, Charitas & Spes. Quidam enim homines inscitia

E

& hor-

& horrenda laborant ignorantia, quidam falsa & prava scientia, quidam peccatis serviunt, quidam bonum non operantur, & hinc cruce omnes premuntur. Hisce adhibet Theologia quinque remedia ex Sacra Scriptura desumpta. Ex illa fieri potest 1. διδασκαλία, 2. ἔλεγχος, 3. ἐπανόρθωσις, 4. παιδεία, 2. Tim. 3. 16. & 5. παροήκησις, Rom. 15. 4.

Per διδασκαλίαν seu doctrinam docentur ignari & confirmantur articuli fidei. Per ἔλεγχον falsa dogmata confutantur. Per ἐπανόρθωσιν peccatores corriguntur. Per παιδείαν ad bona opera instituuntur. Per παροήκησιν adflicti reficiuntur. Ille ergo operam non perderet, qui hæc omnia in uno volumine non confunderet, sed secundum hos quinque usus scripturæ Dei quinque etiam sibi Locorum Communium tomos colligeret. Nimirum:

THEOREMA XLIII.

I. Locos didascalicos, ubi tantummodo de quovis articulo veram doctrinam notet.

Si esset thema simplex, notet explicationem nominis, definitionem realem &c. de quo supra theo. 24. Si compositum & controversum, 1. rem explicet in subjecto & prædicato, 2. Statum formet, & veram sententiam proponat, 3. Argumentis confirmet per Scripturam, Fidei analogiam, Rationem, Patrum consensum, & ubi occurrit per propriam Adversariorum confessionem, aliquot hæc de re regulas vide in Dn. D. Gerhard. Meth. p. 220.

THEOREMA XLIV.

II. Locos Elenchticos vel refutatorios, qui faciunt ad refutationem Papistarum, Calvinianorum, Photiniarum &c.

Progredi autem in iis poterit hac via 1. ut ordinem ipsorum hæreticorum, vel secundum vitæ tempus, vel secundum nominum litteras initiales servet, non videtur consultum; sed ipsas hæreses secundum methodum locorum didascaliorum annotet, sæpe enim unam hæresin muti foverunt, quæ una via refelli potest. In uno quoque ergo loco notabit falsam opinionem & sententiam, idque verbis ipsorum autorum, & indicet, à quò, vel quibus, & quo tempore ac occasione sit exorta. 2. notet graves & emphaticas formulas refutationis, quales in primis Lutheri zelus divinus expressit passim in suis scriptis. 3. Argumenta, quibus i-

stam

nam sententiam destruat. 4. Argumenta, quibus ab illis defenditur. 5. jungatur responsio. 6. Indicetur quomodo isti errores pietati & consolationi noceant. 7. usus practicus addatur.

THEOREMA XLV.

III. *Pædæuticos vel adhortatorios, ubi de bonis operibus & virtutibus singulis agendum.*

Et primò quidem in genere de bonorum operum causis, efficiente, materia, forma, fine, adjunctis, præmiis &c. agatur, 2. in specie, singulorum tractatio instituatür secundum præcepta Decalogi. Deus enim qui solus habet præcipiendi auctoritatem, & cujus voluntas sola est æqui boniq; norma, omnia bona opera in Decalogo præscripsit, in prima quidem parte hominis officium in Deum, seu pietatem, in altera hominis officium in hominem, quod humanitas vocari potest. Illud in interna animi dispositione (quod primo) & externa corporis restitutione consistit, ut nempe ore (quod secundo) & opere (quod tertio præcepto explicatur) pietatis exercitiis incumbamus. Hujus fundamentum ponitur in quarto, & reliquæ species recensentur in reliquis. quarum summa est, non nocere proximo, nec factò, vel ipsius personæ respectu (non occidendum) vel bonorum respectu, (non furandum) vel respectu personæ junctæ, (non machandum) nec dictò (falso testimonio) nec mente vel concupiscentia. Horum omnium peculiare virtutes, quas Chemnit. in loco de lege Dei satis fusè indicat, hoc ordine colligi & explicari possunt. 3. In singulis virtutibus phrasæ & elegantes loquendi formulas notet. 4. Scripturæ testimonia. 5. Patrum dicta. 6. Profanorum sententias. 7. Exempla Ecclesiastica & externa. 8. Præmia. 9. Allegorias & similitudines ex natura desumptas, ex quibus omnibus facile adhortationem instituere potest.

THEOREMA XLVI.

IV. *Dehortatorios, ubi differendum adversus quævis vitia & instituenda sunt graves correptiones. Servari autem eadem methodus que in Pædæuticis potest.*

THEOREMA XLVII.

V. *Consolatorios ad omnes, qui obvenire solent casus & tribulationes, accommodatas.*

Ubi

Ubi in genere de crucis causis, principali, instrumentali, meritoria, materiali, formali, finali, de effectis, adjunctis agat. In specie de calamitatibus singulis, ubi iterum ipsarum causæ & effecta notanda. 2. Peculiaris Consolatoria argumenta. 3. Objectiones, quibus isti afflicti tentari solent. 4. Responsiones ad illas.

THEOREMA XLVIII.

Sunt autem in collectione locorum practisorum certi auctores adhibendi, quorum aliquos hic annotare, non erit opere dispendium.

Comparetur ergo thesaurus Vogelii Germanicus Scharzhammer dictus, & ejusdem compendium vel thesarus Latinus. 2. Praxis Theologica Mamphrasii. 3. Index Biblicus Johannis Piscatoris. 4. Thesaurus Marlorati. 5. Spinæus de tranquillitate animæ. 6. Johannes Taffinius von Buß und bekehrung des Lebens. 7. Academia Gallica Germanicè versa per Jacob Rathgeber & Castalionem. 8. Theatrum Diabolorum. 9. Dictionarium concionatorum pauperum. 10. Summa virtutum & vitiorum à Peraldo collecta. 11. Promptuarium morale Stapletoni. 12. Concordia Evangelica Barradii. 13. Philosophus Christianus Scribani. 14. Rosignolius de disciplina perfectionis Christianæ. 15. Ludovici de Ponte volumina tria de perfectione. 16. Conceptus prædicabiles Bessæi. 17. Lycosthenis similia. 18. Theatrum Zwingeri. 19. Cum primis autem diligenter perlegatur & familiarissima reddatur Schola pietatis D. Gerhardi, qui libri nihil aliud ferè sunt quam loci practici ad conciones accommodatissimi.

Atq; tantum hac vice de primis quatuor mediis Acroamaticæ Theologiæ cognitionis. Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, sedentem ad dextram Æterni Patris ex toto corde supplices rogamus, ut hanc vineam, quam dextra sua plantavit, sanguine suo redemit, diligentibus operariis semper excoluit, in posterum etiam diutissimè florentem & vigentem conservet, laboribus docendi & discendi ex alto benedicat, & nos omnes faciat vasa suæ misericordiæ celebranda in terminos interminos
Amen.

F I N I S.

05 A 2459

ULB Halle

3

004 545 508



WDM





Inches

1 2

3 4

5 6

7 8

9 10

11 12

13 14

15 16

17 18

19

7

6

5

4

3

2

1

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

THE-

IV.

MEIS
EDIIS

ROAMA-
IS THE-

io,
olutio,
tractatio,
tio.

MEIS-

& P.P.

orio minori

ROSIUS

edianis.

ormanné,

4

